

Disputatio inauguralis medica de catharris ... / Christianus Joachimus Lossau.

Contributors

Lossau, Christian Joachim, active 1678.
Andreae, Tobias, 1633-1685.

Publication/Creation

[Francofurti ad Viadrum] : Typis Friderici Eichornii, 1678.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ra4h5c78>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

CATHARRIS

Quam

JUSSU ET AUTHORITYATE
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN ALMAELECTORALI VIADRINA

Adspirante Divina Gratia Aura,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

DN. TOBIA ANDREÆ,

Phil. & Med. D. hujusq; Prof. P. Ord. Facult. Med.

Seniore & h. t. DECANO

FAUTORE SUO COLENDISSIMO

PRO LICENTIA

SUMMUM IN ARTE MEDICA DOCTORATUS
GRADUM


IMPETRANDI

Publicæ Eruditorum Disquisitioni
submittit

CHRISTIANUS JOACHIMUS LOSSAU,

REGIO - MONT. BORUSSUS.

*Ad diem 1. Octobr. Horis ante- & Pomeridianis Consuetis,
in Auditorio Majore.*



Typis FRIDERICI EICHORNII,

Anno 1678.

13

DISPUTATIO IN MATHEMATICIS MEDICIS

CATALOGUS

INSTITUTIUM
MATH. MEDICIS
MATH. MEDICIS
MATH. MEDICIS

INSTITUTIUM
MATH. MEDICIS
MATH. MEDICIS

DE MORBIS ACUTIS

DE MORBIS ACUTIS
DE MORBIS ACUTIS
DE MORBIS ACUTIS

DE MORBIS CHRONICIS

DE MORBIS CHRONICIS
DE MORBIS CHRONICIS
DE MORBIS CHRONICIS


DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS

DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS
DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS
DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS


DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS
DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS
DE MORBIS ACUTIS ET CHRONICIS

PROEMIUM.

Hominem revera esse minorem Mundum vel totius Mundi Compendium, & tanquam in exigua Tabella delineatio, ejusq; Corpus automatum, in quo ferè omnis illius, quod Omnipotens Natura per Causas naturales, & humana Scientia, Naturam imitando, per diversas artes producit, aliquod Specimen occurrit, nemini qui vel parum Corpus humanum ejusq; statum, tam naturalem quàm præternaturalem cognovit, in occulto esse poterit. At quia unica solùm est perfecta Sanitas, morborum autem species innumera, horum Speciminum quoq; multò Major copia in amplissimo illo morborum theatro se representat. Et ne hic longiores simus, apparebit hoc manifestissimè ex illis, quæ DE CATHARRORUM PROVENTU EORUMQUE EFFECTIBUS & CURA paucis his pagellis, DEO, Archiatro Summo annuente, proponere nobiscum constituimus. Elegimus autem nobis hanc præsertim materiam, quia inter infinitos quibuscum Corpus humanum conflictari debet, quique ipsi interitum moliri solent affectus, vix invenire possis, qui id sæpius, & ordinariò cum summis incommodis, imò non rarò ipsius Vitæ periculo infestet, quàm CATHARRUS. Tum quia ex illius in multorum aliorum Morborum rectam cognitionem pervenire possumus,



THESIS PRIMA.



Uod Græci *Catharrum* hoc nos cum *Celso* significanter *Distillationem* vocamus. Vix enim in Arte Excellentissima Chymicæ distillationis Opus occurrit, quod non ad Naturam distillationis hujus, quæ in Corpore humano nulla non die observatur, distinctè concipiendam quid contribuat. Si enim Materiam Catharorum consideremus, ea non minus quàm Chymicorum distillationum varia est; quippe necessum est aliam esse quæ Catharrum aqueum producit, quàm quæ acrem aut salsum, sicuti Aqua simplex distillata [v. g. rosarum] aliam omnino materiam præsupponit, quàm Spiritus aliquis salus, acidus, acris, aut corrosivus, ut Spiritus Vitrioli.

II. At non minus hæ distillationes in eo conveniunt, quod Vasa certo modo ad hoc, ut materia hæc in liquorem aliquem convertatur, adaptata sint: sicut enim si Vitriolum crucibulo inclusum aperto igni exponatur, nunquam spiritus ejus sub forma liquoris congregabitur. Ita etiam ut materia Catharorum in Catharrum mutetur non est perinde quibus in vasis & locis corporis hæreat.

III. Notum quoque est ex Corpore nullo pos-

se distillando liquorem aliquem elici nisi vel igne Calido & Lucido, qualis est focalis noster, adhibito; vel igne calido & lucido, qualis v. g. est in Calce viva aqua aspersa, aut fimo Equino &c. Ita nec concipi potest distillationem alicujus liquoris in Corpore nostro existere, si non Calor aliquis materiam Catharrorum sursum propellat, is autem non est in Corpore nostro ab igne aliquo calido & lucido, uti est focalis noster; multo minus à lucido & non calido, qualis est in ligno putrido de nocte lucente, Ergo remanet, quòd dependeat ab igne calido & non lucido.

IV. Talis autem in Corpore nostro quaquaversum accensus est, dum sanguis totum Corpus in circulo percurrentes simulq; ex fermentatione satis intensa incalescens & calida sua effluvia ubivis expirans, illi Vitam, Vigorem, Motumque conciliat. Ut idcirco calore hoc cum Vita cessante, non verendum sit, ne in Cadavere gelido Catharrus producat.

V. Hisce consideratis facilè apparet, quòd sicuti Vis Caloris focalis ex planta aliqua, aut minerali aliquo particulas aliquas expellens & cum particulis aquæ tanquam suis vehiculis miscens, eas sub forma vaporis halitus & fumi sursum in Alembicum propellit, ubi per frigus exterius in guttulas exiguas primum, posteaque in grandiores coguntur, ut tandem in unum confluentes, liquorem efficiant per nasum quasi alembici, in subjectum vas defluentem; Ita etiam sanguis in Corde & Vasis suis effervescens ex se sursum in Caput & cerebrum usque, continuò sub forma Vaporis aut exhalationis aliquid expellit, quod ibidem per frigus æris ambientis in liquorem aliquem cogi potest, atque ita ad inferiora defluere.

VI. Materia igitur Catharrorum est si non unicè saltem principaliter Sanguis, ex quo aliquid sub forma Vaporis aut Exhalationis in Cerebro secernitur atque frigore aëris in liquorem coactum versùs partes inferiores vi gravitationis depellitur. At non solùm materia est catharrorum sed simul Causa ipsa hanc ex se propellens & in cerebrum mittens, quatenus non solùm est in continuo motu tam versùs superiora quàm inferiora, at simul per fermentationem, quam in Corde accepit incallescit. In hoc igitur ab illis Chymicorum distillationibus, quæ externo calore ad solvendum aliquid ex rebus distillandis & sursum pellendis indigent, discrepat.

VII. Pro diversitate autem tum ipsius sanguinis, tum graduum Caloris, qui in sanguine horum & illorum hominum existunt, nec minus frigoris aëris in quo quis versatur, Catharri multimodis consistentiâ copiâ, efficaciâ & sapore variare possunt. Nam v.g. si quis Sanguinem valde aquosum habet, exspiramenta sanguinis quoque aquosa erunt, liquorq; seu *Catharrus* inde proveniens aqueus. Si verò in sanguine præambundant salia, aut acida, Exhalationes sanguinis salsa, aut acida, aut acria cum aquosis juncta *catharrum salsum* aut *acidum* aut *acrem* efficient.

IX. Et quidem Catharrus aqueus multo faciliùs & in majori Copia generatur, quàm salsus, acidus aut acris, uti distillatione faciliùs & in majori copia ex planta aliqua aut floribus adhuc vegetis in alembico colligitur aqua, quàm spiritus aliquis salsus, acidus aut acris ex mineralibus, quod unicuique manifestum erit, qui v.g. noverit, quam exiguo negotio aqua rosarum distillatione comparetur, respectu Spiritus Salsis. Nam aqua & quod ejus naturam imitatur, aut quocunque modo mobilius

est, & aliis partibus non ita innexum, hoc indiget solum calore blando ut ab aliis partibus separetur, & evaporetur, dum salsa & acida [uti ex multiplici experientia constat] difficilius commoveri & sursum propelli queunt. Nam aquæ particulæ sunt satis flexiles & mobiles, ideoque prius quàm aliæ separantur, & separatae alias etiam non ita fixas separant & secum abducunt, salia verò omnia [& ad quæ acida quoque referri possunt] valde dura, rigida & flexibilia sunt, uti vel inde patet, quòd concrematis herbis, cineres eorum sal subministrant; hoc enim fieri non posset, si salia tam facile ab igne inflecti, frangi que possent. At contra concludendū quod quandoquidem Vi ignis tantopere resistunt, dura & solida existant.

IX. Licet autem in Copia majore aqueus generetur Catharrus præ falsis, acidis & acris, attamen Vi & efficacia est multò minor. Sicuti aqua rosarum distillata respectu Spiritus Salis vel Vitrioli distillatione elicitæ, vires exiguas habet. Cujus causa ex jam dictis itidem manifesta est. Quæ enim mollia & flexibilia sunt non possunt Vim magnam in Corpus aliud exercere sed inflectuntur quocunque motu etiam impellantur, sed quæ dura & solida sunt satisque fortiter agitata, alia aut inflectunt aut obtundunt aut frangunt, lancinant, scindunt, rumpunt &c. Quemadmodum aquæ fortes regiæ & stygiæ dictæ, ob hanc Vim salium, metalla varia erodunt, imò Aurum ipsum in pulverem convertunt.

X. De Sapore Catharrorum non est ut multum dicamus quia ex dictis satis patet, quod si Catharrus aqueus nil vel valde parum falsi, acidi, aut acris in se habeat *insipidus* vel *subdulcis*; si vero horum aliquid secum vehat, pro copia illorum & subtilitate, aliaque propria
illis

illis qualitate falsior acidior vel acrior; atque ob id *ro-*
dens, pungens, mordens, lancinans esse, dici poterit. Confe-
ramus ergo nos ut contemplemur vias per quas Catharrus
ad inferiora descendit & quos in eis effectus producat.

XI. Et quidem ad Nasum hujus liquoris est deflu-
xus præ cæteris ita ordinarius, ut vix ullus tam emunctæ
naris sit, cui non de facili mucus quis ex materia hac ibi-
dem colligatur. Sed hic mucus nomine Catharri non
venit Medicis quamdiu non est tam subtilis fluidusque
ut sub forma alicujus liquoris descendat; quemadmo-
dum est in *coryza* seu *gravedine*, ut idcirco hæc ut species
prima Catharrorum attendi possit.

XII. At Alembicus Corporis nostri non unum,
sed plures ductus habet per quos collectam hanc in se
materiam exonerat. Et quidem familiaris Catharro
via præter nasum est, dum versus eum ex capite quidem
fluit, at illum præterlabitur & in fauces descendit. Viæ
enim hæc sunt sibi proximæ. Atque ita per palatum ad
fauces descendit, & à Medicis magis propriè *Catharrus*
vocari solet.

XIII. Quos autem non pro diversitate Materiæ
& Copiæ suæ producit in hisce viis varios & lamentabi-
les Effectus? dentium dolorem; Uvulæ laxationem; re-
spirandi difficultatem, eamque, aliquando tantam, ut pa-
tiens sæpius suffocetur, qua de causa talis *catharrus* ab ef-
fectu quem producere potest aut produxit *suffocativus*
denominatur. Tussim; exulcerationes palati gingi-
varumque; Tumores linguæ, mandibularum, amygdo-
larumque; Anginam; Et quos non alios morbos? Præ-
sertim verò in ventriculū ipsum descendens & fermentum
illius corrumpens jam Nauseæ, jam Vomitus, jam Fe-
bris, jam Diarrhææ & similibus multorum morborum, At
ordina-

ordinariò inappetentiæ causa existit.

XIV. Ab his dictis Viis Catharrus ex levi causa ad oculos & aures divertitur, & diversos etiam morbos, ut dolores oculorum auriumq; , Visus debilitatem, oculorum pruritus, auriumq; tinnitus & similia alia mala, quæ brevitatis Causa superfedemus, producit.

XV. Sed longius etiam aliquando iter suū instituit, & ad pectus, lumbos, brachia, manus pedesque imos defluit & non solum dolores diversos, pro diversitate suæ materiæ & copiæ in eis excitat, sed etiam dum pectoris musculos ad motum ineptos reddit respirationis difficultatem, cum doloribus aliquando magnis inducit; at dum Musculos manuum pedumque doloribus defatigat, & ad motum inhabiles facit, in causa est ut nec manus, nec pedes officium suum præstare queant.

XVI. Imò aliquando exundatio quasi illius generalis evenit, ut ad omnes ferè prædictas partes aut saltē plures simul distillet, atque tunc *Catharrus generalis*, quem Græci *Rheumatismum* vocare solent, nomine exprimitur, causaque variorum morborum particularium existit.

XVII. Denique (ut in pugnum nostra contrahamus) aliquando collectus hic humor Caput non egreditur sed intra Cerebrum collectus manet, eoque periculosior est, quia insidias quasi in occulto nectit. Hinc enim sæpenumero paralytis, morborum somniferorum, apoplexiæ, epilepsiæ, Cerebri putrefactionis, aliorumque cerebri morborum causa principalis aut coadjuvans se habet.

XVIII. Vidimus igitur quàm horrendam & magnam malorum seriem Catharri producere possint, ut si hæc omnia hîc pro dignitate examinare velimus, temeritatis meritò censuram incurremus, ob id quòd tam grande opus & quod forsan maximam Medicinæ par-

partem efficit, unicæ disputatiunculæ includere anniteremur.

XIX. Ne tamen hæc in vanum dicta & solùm historicè recensita esse videantur, priusquam curam catharorum exponamus, accedemus propius, atq; hæc applicabimus notabili cuidam morbo, qui in praxi nostra nobis se curandum stitit, quandoquidem in illo non pauca sunt, quæ ex his lucem aliquam accipere possunt. Scilicet res ita se habet:

Nobilissima Generis & Virtutum propriarum splendore quædam fœmina, duarum filiarum Mater, nunc annum circiter 30. suæ ætatis agens, statureque laudabilis, quæ cum Virgo adbuçerat, integra Valetudine fruebatur, atque etiam adbuç habitus ei exterior decens satis existit: dietam prudenter observat; menstruas purgationes justo tempore habet, nec alvum adstrictam, ita ut ex his judicare liceret, Domina huic cum secunda valetudine perquam bene convenire; Nil minus tamen paulò postquam maritata fuit, per Intervalla, & ordinariò singulis mensibus, cum menstrualis fluxus aut instat aut cessavit, certorum paroxysmorum insultus vebementissimos, cum quibus ad mortem ferè illi colluctandum est, sustinere cogitur. Et quidem in principio quum paroxysmus præforibus est, & qui ordinariò & præcipuè post cœnam se sistit, circa ventriculi orificium inferius seu ad scrobem cordis, pressionem & pulsationem percipit, quam alvi excretio ad duas vel tres sedes insequitur. His peractis circa nonam circiter vespertinam ipsi superveniunt murmur & sibilus in pectore, idq; diversorum sonorum, ut aliquot felium catellos præ fame ejulantes concentum aliquem facere diceres. Adest tunc anxietas & difficultas respirandi magna, cum faciei rubore & aliquo tumore; ut domina patiens neutiquam in le-

Et

Non detumbere possit, at erecta sedere, ut melius spiritum ducat, teneatur. Aliquando simul in ipso paroxismo vomitus supervenit, quo primò alimenta assumpta & post hæc quedã pituita viscida ejicitur. Hic paroxismus aliquando ad duodecim horas, aliquando minus, aliquando ulterius durat; finito illo, Caput dolet & circa nucham quasi contractio aliqua percipitur. Insequitur etiam sitis, nec minus tussis per quam circa matutinũ tempus pellucidum & coagulatum pblegma quod gelatina vel spermaturarum non absimile est, cui subinde aliquid nigricans & acsi fuliginis tãda portiuncula ei interspersa & mixta esset, ejicit. Circa Meridiem verò cum appetitu Cibum & Potum denuo sumit, eumq; benefert, restante tamen adhuc imbecillitate & præsertim pectoris pedumq; doloribus. Num quidem quia paroxismi frequenter recurrunt macilentior fit, sed etiam facile restituitur decens corporis habitus colorq; vividus reducitur.

XX. Equidem instituti nostri non est *Casum* hunc observatione (prout nos judicamus,) non indignum, tam exquisitè & particulatim pertractare, quàm mereretur, attamen dum ea quæ in genere de Catharris jam diximus illi applicabimus, aliquam saltem partem ejus naturam enucleaturos nos esse speramus. Non igitur jam inquiremus, cur dirus hic hostis Nobilissimam Dominam non longè à nuptiis invaserit? Cur circa tempus menstrui fluxus, & cur præcipuè post cœnam? Nec de pressione & pulsatione circa ventriculum, & insequentibus alvi excretionibus, & quæ similia talia occurrunt jam solliciti erimus, at quia etiã inter alia symptomata difficultas spirandi, sibilo & mirũ pectoris murmur observatur, an & quomodo hæc à catharro dependeant despiciemus.

XXI. Et quidem Dominam patientem extra talem paroxysmum, catharris non ita obnoxiam esse; bona diæta, purgationes menstruæ naturales, alvus laxa, habitus corporis non indecens, & ad quem Domina patiens post exantlatos paroxysmos non difficulter redit, nos satis edocere videntur; at paroxismo adventante & præsertim in vigore existente illum produci, non credo quem facile negaturum.

XXII. Hoc ut inclarescat, ex th. 6. in memoriam revocabimus, catharorum materiam esse præcipuè, si non unicè, sanguinem, atq; illam per ipsius sanguinis calorem excuti; At sanguinem per crisin illam naturalem, quæ menstruus fluxus vocatur, plus solito agitari & concuti, atque ob id ex eo quid citius & copiosius excuti & evaporari posse, vel ex eo patet, quòd observemus fermentationes rerum distillandarum aliarumq; , eo fortiore odorem spirare, tum vapores & exhalationes, imò fumum aliquem emittere, quò sunt magis intensæ. Et notum, quòd vel sola circumagitatio & concussio rei spirituosæ v. gr. vini in vase, odorem ejus fortius expellat. Concludimus igitur non absq; ratione circa illud tempus sanguinem muliebrem ad catharris materiam citius & copiosius suppeditandam magis dispositum esse.

XXIII. Quamvis autem, quia menses bene fluunt, aliæque causæ ad catharri productionem concurrentes abesse possunt, pro illo tempore à catharris libera sit, at tamen quia mox altera illa causa agere incipit, quæ pressionem & pulsationem circa ventriculum, & aliquando simul vomitum producit, sanguis, qui videtur nondum ad naturalem sui motûs proportionem rediisse, sed turbatus adhuc in vasis suis fluere, de novo conturbatur &

ad

ad celeriore[m] motu[m] per anxietates & tormina incitatur; atq; ob id durante hoc paroxismo materia catharri satis copiosa ex sanguine expelli & in cerebro colligi poterit.

XXIV. Hæc autem (1.) salsa & acria, eaq; satis copiosa & diversæ speciei, in se continere poterit. Cum enim sanguinis particulæ acidæ & salsæ per fermentationis illum majorem gradum solito fortius agitentur (sicuti carnes salitæ in craticula tostæ sunt multo falsiores quàm frigidæ, quia salis particulæ vi ignis fortiter agitæ vehementius in linguæ nervos agunt) eorum multæ franguntur, subtilifantur & (ut loqui amant) exaltantur; atq; idcirco majori cum impetu & copia sursum versus cerebrum propelli & in cerebrum expelli poterunt. At etiam (2.) hæc materia catharri aliquando simul non parum tenacioris & viscosioris aquæ in se continere poterit. Cùm enim sanguis ita conturbatus & ad celeriore[m] motum incitatus sit, magis quoq; effervescit, adeoq; non solum subtiliora sed & crassiora, quæ aliàs ad motum inepta sunt, versus superiora propellit & secum abripit, sicuti in variarum rerum distillatione observamus, quòd si calor ignis per suos gradus non decenter intendatur, etiam phlegma ipsum usq; in alembicum abripiatur.

XXV. Catharrus igitur talis ex tam variis ingredientibus durante hoc paroxismo in cerebro productus, comparari posset cum crassa valde nebula in aëre producta, vel cum fumo crasso qui in quibusdam Chymicis processibus in alembico circumvolitare videtur; Sicuti enim hora una vel altera elabi poterit priusquam in guttulas aliquas colligantur, ita etiam hæc sanguinis exspiramenta demum intra duas aut tres horas

eousq; perducī possunt, ut in guttulas aliquas subtilissimas abeant, atq; ita demum catharri nomen & naturam acquirant. Hoc pacto enim eveniet ut demum circa nonam vespertinam distillare incipiens alterum istum in pectore paroxysmum, qui in murmure, sibilo & difficultate respirandi consistit, producat.

XXVI. Quatenus enim principia nervorum eorum, qui ad musculos pectoris tot & tam variis modis movendos, quot ad respirationem sufficientem & æqualem requiruntur, quasi aliquo modo obstipat, ut spirituum animalium ad musculos hos movendos influxus multum inhibeatur; aut etiam quatenus pars ejus inter musculos thoracis defluens, eorum justam dilatationem inhibet, respirationem æquè difficulter fieri posse facilè concipietur, quàm quòd aër difficillimè in tubum follis influat, si quæ causa sit, quæ obstet, ut asseres follis à se invicem non nisi aliqua vi removeri queant. Ab hoc enim spirituum animalium in hos musculos influxu & musculorum naturali dilatatione indè orta, primò & principaliter respirationem pendere, judicamus summè probabile esse.

XXVII. Augetur verò insuper hæc difficultas respirandi maximè ex hoc, quòd tenacis hujus catharri pars quædam circa asperæ arteriæ initium se colligens hiatumq; ejus quocunvis modo coarctans, aëris in pulmones influxum ulteriùs impediatur; quòd eo faciliùs fit, quia ob prædicta thoracis vitia, solummodo leniter versùs pulmones propellitur. Quo magis copiosè igitur hæc materia crassa ibidem accumulatur & tam à frigore aëris in pulmones irruentis, quàm ejusdem in eis calefacti cumq; aliis calidis sanguinis effluviis rursus exspirati; calore induratur, aut etiam altiùs in arteriæ asperæ initium se insinuat, eò gravius hoc malū evadit. Nam
quo

quo plus hæc via coarctatur, eò majori cum conatu aër in pulmones prorumpere debet.

XXVIII. Atq; hæc eadem causa est quòd tunc temporis in pectore murmur & sibilus audiatur, sicuti tale quid audimus cum aër ventis valde impulsus celerrimè per rimas fluere cogitur, aut si in tubo follis quid sit intrusum, quod eum valde coarctat, ut aër dilatatione follis fortiter facta per illas angustias cum lucta quasi intrat: Fortis enim illius ad illud quod ipsi ibidem resistit allisio hos sonos excitat. Nec mirum est sonos hos ita variare, ut jam murmur, jam sibilum, jam catellorum felium præ fame ejulantiũ repræsented; hoc enim solummodo dependet, *vel* à vi qua aër in pulmones prorumpit, jam majore, jam minore. Si enim Domina patiens cum magno impetu spiritum ducat, sonus acutus; si cum minore, gravior; si adhuc remissione, valde gravis & quasi murmur erit; sicut idem observamus in vento per rimas & foraminula januarum compulso. *Vel* etiam dependet ab ipsius materiæ angustantis hanc viam majore aut minore copia. Quo enim spatium per quod impellitur aër angustius est, eò acutiorem ejus sonum esse organa musica satis comprobant. Fieri autem potest quàm facilè, ut hæc materia obstruens jam major sit, v. gr. cum ex cerebro plus affluit; jam minor, v. gr. cum screatu aut tusi quid illius ex asperæ arteriæ initio expellitur.

XXIX. Quia etiam exprædicta cum organis musicis comparatione constat, quòd levisimã solùm mutatione opus sit, ut alius aliusq; sonus exhibeatur, apparet quòd in momento quasi diversæ species sonorum exhiberi poterunt. Ut v. gr. si quis lingulam tubuli ex organo sumti citissimè hinc illinc moveat ut cavitas tubi
illius

illius variis modis angustetur. Item si in fistula foramen aliquod vel tantillum digito jam plus jam minus coarctetur; si in fidibus chordæ vel tantillum jam intendantur jam remittantur, aut digito vel tantillum aliter aliterq; comprimantur. Quid mirum igitur si in Domina hac patiente aër prædicto modo per obstipatam ad pulmones viam brevissimo tempore diversis modis compulsus, & in asperæ arteriæ tubulos vel ramificationes, inter se capacitate, figurâ, situ vel inflexione variantes proruens, varios quoq; sonos excitet; & quidem, quia in illos tubos omnes eodem tempore influit, concentum quasi aliquem catellorum felium aut similem alium exhibeat.

XXX. Porrò non mirum quòd Domina patiens tunc temporis non possit in lecto decumbere, sed cogatur erecta sedere, ut meliùs respiret, seu quòd (ut cum Medicis loquar) *Orthopnoea* (quasi dicas recta respiratione) laboret. Nam dum Creator noster

Os homini sublime dedit cœlumq; tueri

Fussit & erectos ad sidera tollere vultus

ut, sicuti cœlum aëreum inspiramus, ita etiam versùs cœlum cœlorum, ut patriam nostram cœlestem, suspiria nostra mittamus; hoc ipso etiam effecit ut faciliùs & meliùs in pulmones, quia à faucibus versùs diaphragma dependent, influat aër, eosq; dilatet, adeoq; respiratio faciliùs succedat, quàm si quis decumbat, quia tunc gravitatione versùs hoc vel illud latus paululùm pulmones compressi, aërem non tam liberè recipiunt.

XXXI. Denique nunc satis distinctè concipiemus. i. quòd licèt tandem hæc tempestas post duodecim & plures horas desæviat, attamen conturbatio sanguinis
magna

magna etiamnum remaneat, sicut mare licet impetuo-
sæ tempestates jam sedatæ sint sudumq; cœlum existat,
attamen tempore indiget priusquam fluctus ejus com-
ponantur & ad placidum fluxum reducantur. 2. quod
per eam salsedo sanguinis commota *sitim* excitet; quod
3. ex hoc sanguine conturbato spiritus animales aut ex-
halationes variæ cum impetu & irregulariter in cere-
brum proruentes illudq; plus solito diffiantes, vel con-
cutientes, vel alio modo fortiter in illud agentes, *capiti-
tis dolores* varios producant. Et 4. quod dum spiritus
animales irregulariter per spinalem medullam descen-
dunt, *in nuca* dolorẽ aliquem, quocum *contractio* ejus
quasi aliqua supervenit, causare possit; præsertim si (ut
probabile est) ad initium spinalis medullæ etiam aliquid
illius præcedentis catharri confluxerit, quod illud aliqua-
tenus obstipavit; ut spiritus animales non solum irregu-
lariter, at simul cum conatu per illam descendant. De-
nique 5. quod licet finito hoc paroxismo, tenacior ille
catharrus (de quo th. 24. dictum) non ulterius af-
fluat, attamen eum aliquis subtilior & acidior aut acrior
sequi possit, sicuti densissimis & crassioribus nebulis de-
lapsis, pars ejus subtilior in aëre subsistere & tardiùs ad
terram pervenire solet. Hic autem cum tenaciore isto
mixtus qui per diuturnam hanc luctam, medicamentaq;
convenientia jam subactus & incisus quasi est, eum ali-
quatenus porrò attenuare potest ut eò facilius ab aspera
arteria & ex faucibus expellatur. Hoc autem totaliter
tunc demum fit, cum hic subtilior & acidior aut acrior
catharrus usq; in asperam arteriam penetrans eamq; vel-
licans *tusim* concitat. Hac enim tandem solvitur & sub
forma gelatinæ pellucidæ spermatis ranarum non absi-
milis expectoratur.

XXXII. Unde verò sit quod ipsi subinde nigricans quædam materia ad instar fuliginis tædæ interspersa sit, & quæ alia hîc considerari possent, non est nobis propositum hoc loco inquirere, ideoq; solùm restat ut quæ possumus brevitate *Curas Catharrorum*, juxta illa quæ diximus, afferamus. Cùm ergo sanguis ipse sit catharrorum materia, ideoq; quidem tot catharrorum species quot sanguinis sunt diversitates, concipi possent, attamen quia ordinariò Medici Catharrorum generaliter in frigidum, & calidum, vel, ut nos loqui maluimus, in illum, qui ex sanguine aqveo; & istum qui ex sanguine acido, acri aut falso producitur, dividunt; idcirco dum quidnam circa horum curam præcipuè observandum sit extremo digito denotabimus, respiciemus potiùs ad illos tanquam ad habituales jam factos, quàm in quantum ex certis causis per unum aut alterum diem etiam in satis sanis se ostendere possunt.

XXXIII. Quandoquidem ergo aqveum ex sanguine aqveoso oriri diximus; sanguis autem hanc suam dispositionem à ventriculi prava concoctione, quæ cibi & potus non satis subiguntur, præcipuè, & ordinariò unicè, accipiat, fundamentum curæ hujus in ventriculi correctione principaliter ponendum esse judicamus. Ac ob id, si potiùs simpliciozem aquam, quàm tenacem aliquem humorem in eo stagnare existimamus, evacuatio ejus vel per inferiora solùm, ut eis, quæ ex rad. jalappæ & mechoacannæ præparantur medicamenta; mercurio dulci &c. vel etiam per superiora, si necessitas requirat, uti v. gr. gummi guttâ; Aqvâ benedictâ Rulandi &c. Si autem tenacitas humoris adesse judicatur, præparatio ad evacuationes tales præmitti posset, v. gr. per oxymel squilliticum, hysopum, foeniculum, origanum &c. sub variis.

formulis exhibitum. Evacuatio autem ipsa instituen-
da est per ea, quæ visciditatem magis educere existiman-
tur, ut Gummi Gutta laxativa, & quæ ex agarico & simi-
libus præparantur. Hoc autem peracto ventriculus per
illa stomachica, quæ in se calida & exsiccantia continent,
ad meliorem concoctionem disponendus est; & quor-
sum illa, quæ sub forma pulverum in pharmacopoliis
prostant medicamenta plus quàm liquida facere, ratio
est cur putemus.

XXXIV. Venæsectio an in aquoso catharro unquam
utilitatem, saltem notabilem, afferat, dubitare liceat.
Etsi enim statuamus requiri calorem sanguinis ut
materia catharri ex illo expellatur, ideoque venæse-
ctio non videatur improbanda; attamen non opus est ut
is calor plus solito major sit, adeoq; venæsectionem re-
quirat. Quippe supra jam ostendimus, quòd aquosa so-
lùm calore blando indigeant, ut sursum propelli in copia
valeant. E contrario, quia in aquosi catharri proventu
ventriculus non tam citò restituitur in integrum, ut pos-
sit sufficientem materiam, pro laudabili sanguine in e-
missi locum reproducendo, citò subministrare, super-
vacanea non solùm, sed potius etiam noxia hinc venæse-
ctio esse videtur.

XXXV. Diaphoretica autem & sudorifera aquosi-
tatem ex sanguine expellentia, præmissis istis generalio-
ribus suas eximias utilitates habere judicamus, ut v. gr.
Rob sambuci, & ea quæ ex Antimonio & nitro præparan-
tur. Plus tamen hisce existimamus huc conferre diu-
retica dicta, quia per vesicam aquositas citius, facilius, &
in majori copia educitur. Et quidem diuretica magis
spirituosa & calidiora hinc præferenda, quibus absinthiū,
calamus aromaticus, galanga; Ol. succini, anisi, cumimi

& f. ingrediuntur; Tum quæ acrimoniâ & aciditate suâ, reliquias saburræ aquosæ tenacioris attenuare videntur, uti Acetum scylliticum, Allium, spir. Vitrioli, Salis & f. Verbo, quæcunque stomachica hîc profunt, illa quoque simul urinam promovere putamus.

XXXVI. Hæc quoad catharri frigidi vel aquei habitualis curam in fonte suo quasi peragendam nunc sufficiant. Calidi, seu falsi, acidi aut acris habitualis equidem non minus quàm aquei cura, ventriculi medelam exposcit, cum qualis est chylus, talis etiam sit sanguis; at tamen nec ita primariò, nec tantopere, nec eodẽ modo. Non *ita primariò*, quia sanguinis falsedo, aciditas & acrimonia cum sufficiente alimentorum concoctione subsistere potest, imò ordinariò illam adjuvat. At quia hîc potiùs est ipsius sanguinis fervor considerandus (quippe fermentationes salforum & acidorum præ aliis fortissimas esse, multa chymica experimenta ostendunt) *immediatè* ipse sanguis per venæ sectionem eamque non adeò parcam, corrigi poterit; *mediatè* autem per curam ventriculi & illa quæ ventriculum transeunt.

XXXVII. Hanc autem curam *non tantopere* quàm aqueus exposcit 1. quia vel purgationibus nullis, vel saltem lenioribus & ex eis, quæ placidè bilem evacuare & frigidioris naturæ esse dicuntur, uti ex mænna, casia fistulari, tamarindis, prunis & f. parata; Et quidem non in principio curæ & quamdiu alvus non est adstricta, opus est. Quo enim purgatio fortior est, eò magis quoque sanguinem concutit & fermentare plus solito facit, quòd hic omnino cavendum esse ex modo quo calidum talem catharrum oriri diximus, satis patet. Atque ex eodem hoc fundamento à sudoriferis, saltem fortioribus & in principio curæ, abstinendum potius esse judicamus. 2.

Quo-

Quoniã in cura catharri aquei habitualis sæpius sunt repetendæ purgationes, & subinde eis per aliquot dies insistendum est, hîc verò ex dicta causa non item. 3. quia etiam vomitoriis hic rarò indigemus, nisi si forsan æstus ventriculi vehemens cum appetitu prostrato & similes affectus illa suadeant. Quamvis autem in principio jam adhiberentur, attamen vis eorum non ita quàm eorum, quæ fortiter per inferiora purgant hîc metuenda est, cum sanguinem non ita directè, nec tam fortiter, nec tam diu concutiant. Sumi autem possunt ex antimonialibus.

XXXVIII. Cura tamen ventriculi non est planè negligenda, etsi *non eodem modo* instituere illam oporteat, quia in catharro calido stomachica contrariæ virtutis, seu frigida & præsertim humectantia, aut quæ acrimoniam, aciditatem, & faldedinem fermenti stomachalis attemperant vel obtundunt, requiruntur. Inter attemperantia possent recenseri quæ ex acetosa, lactuca, rosis & similibus, quæ aquositatem aliquam in se habent, sunt composita. Obtundunt autem magis acrimoniam talis fermenti, quæ illius vi magis resistunt, ut dum in hæc agunt Salia & acida, quæ in ventriculo sunt accumulata, quasi obtundantur. In horum numero illa quæ ex corallis, margaritis, creta & similibus præparata sunt, non parum profunt.

XXXIX. Quamvis autem hæc stomachica propriè dicta non possunt non bonum aliquid in sanguine ipso causare, dum prædicto modo ventriculi fementum in melius restituunt; attamen quia illius effervescentiam nimiam quoque sistunt, & quidem non leviter, illa, quæ vi somniferâ sunt prædita, talia in hoc casu non minus cum utilitate exhiberi poterunt; præsertim si ex opio

illis quid mixtum sit, uti sunt v. gr. pilulæ anticathar-
rales, de Styrace sive laudanum pectorale dictæ; tum
pilulæ ad tussim, quarum descriptio in Pharmacopœia
Scröderiana extat. Laudanum quoque opiatum ipsum
cum prudentia adhibitum prodest. Uti & lac amygda-
latum cui semen papaveris & Semina refrigerantia ma-
jora & minora sunt adjecta.

XL. Atq; ita quidem utriusq; catharri curam quo-
ad fontem suum cum ratione institui posse judicamus.
At nil obstat quo minus interim dum hæc fiunt, cathar-
rus ipse, quatenus ex cerebro jam ad has vel illas partes
fluit & multifarios morbos, quorum multos superius e-
numeravimus, producit, curam particularem recipiat.
Et hæc cura rursus generalior esse poterit, *vel* quatenus
uterq; catharrus per scarificationes, vesicatoria, fonticu-
los, setacea, masticatoria &c. ab ista parte in qua specia-
lem istum affectum producit, ad alias partes in quibus
non ita nocere poterit, derivatur & per eas educitur. *Vel*
quatenus caput contra frigus exterius partim quasi de-
fenditur, partim verò cerebri humiditas per exterius
imposita exsiccat, uti per Sacculos pulveribus aroma-
ticis impletos; oleorum aromaticorum & calidiorum
ad futuras inunctione; *vel* quatenus cerebrum cathar-
ro plus quàm deberet humectatum, suffumigiis variis
exsiccare conamur. Quæ duo postrema tamen magis
catharrum aqueum respiciunt.

XLI. Quatenus autem catharrus consideratur tan-
quam in certa quadam parte suas vires jam exerens, cura
illius particularissima (si ita loqui liceat) eaq; varia su-
scipienda est. Nam v. gr. si catharrus hærens circa aspe-
ram arteriam difficilem adeò respirationem producat
ut suffocatio metuenda sit, per ista quidem quæ illum in-
cidunt,

cidunt, attenuant & solvunt in actum deducitur; Et hunc in finem Oxymel scylliticum & gummi gutta, mixta linctibus aut sorbitionibus illis, quæ in hoc casu exhiberi solent, sua optimè peragunt. Hanc autem curam adhibere non possumus, si portiuncula tenuis, at acidi & salis catharri intra cuticulas se insinuet, & dolores varios & aliquando simul tumores in manibus, pedibus, aliisque partibus exterioribus corporis excitet. Hisce enim per exterius imposita aut illita succurrendum est, aut saltem succurri potest. Debent autem hæc esse subtilium valde partium, quæ versùs interiora ruere atq; ita poros aperire & hærentem istam catharri portiunculam agitare & per poros foras excutere possunt; Quorsum emplastrum quoddam carminativum, uti & oleum, tinctura, aqua vel elixir aliquod subtilissimarum partium, imò calor actualis ignis &c. multum faciunt.

XLII. Atque ita alii casus sunt, in quibus catharrus in parte aliqua corporis se sistens singulariter tractandus erit. Quantum vetò ad affectus alios particulares, quos ferè in nulla non parte corporis nostri producere possunt catharri; ut affectus oculorum, aurium, dentium, faucium, thoracis, atq; ita porro reliquarum partium consistentium, ad quas omnes, aut plures, aut unam; idque aut simul, aut successivè catharrus pervenit, hi præter has curas propositas aliam rursus sibiq; propriè debitam curam requirunt. Sed ad has ut ulterius descendamus propositi nostri ratio non permittit.

XLIII. Restat igitur ut de diætâ etiam paucula annectamus. Ideoq; quæ in utriusq; catharri cura de stomachicis medicamentis diximus, ea etiam alimentis applicanda esse statuimus, quia ad horum præscriptionem alimenta medicamentosa, & alimenta ipsa dirigi poterunt. Mediocritas autem ubiq; est observanda, videntur etiam sedulo subitæ calidi cum frigido aëre mutationes. Valde noxium enim est si quis catharris divexatus ex quacunq; causa incalescat, & excalesfactus se in frigidum aërem; præsertim capite detecto aut pectore denudato prorumpat. Nocere etiam potest subinde, præsertim illis qui temperamento calidiore sunt præditi, ideoq; catharris acris & salis sunt magis obnoxii, ex aëre valde frigido in valde calidum transitus. Ventis quoq; frigidi sunt vitandi; & quidem frigidi & humidi plus, in
cathar-

catharro aqueo; frigidi autem & sicci, in catharro subtili & acri. Exercitia corporis vehementia cuius catharroso nocent, præsertim tamen illis, qui temperamentū calidū & siccum habent. Ideoq; satis moderata hisce, at majora iis quibus humidum & frigidum temperamentum est, conveniunt. Somnum idcirco etiam potius illi, qui hujus temperamenti existunt abrumpant, ut eo magis in exercitio isto moderato persistant; at isti qui catharro acri & salso exeruciantur, somno magis indulgeant; imò si non sufficiens sit, eum sibi medicamentis convenientibus inferri curent. De excrementis autem & retentis hic nihil ferè dicendum quia ex constitutione interiore sanguinis dependent; ideoq; quæ de ipsius sanguinis medela jam attulimus, hic etiam quadrant, cum pro sanguinis dispositione etiam reliqua, sive excernantur, sive retineantur, variare debeant. Deniq; cum nil fortiùs nec citiùs sanguinis massam conturbet quàm vehementes passionēs animæ. & inter illas ira & consternatio; hæc passionēs sunt omnium maximè, & præsertim eis qui sanguinē subtilem, falsum & acidum habent fugiendæ, allaborandumq; ut quies & pax alta sit menti, licet corpori mediocris commotio concessa sit. Atq; hæc de *distillationibus* succinctè in medium protulisse sufficiant. Interim Deo T. O. M. sit Laus Honor & Gloria Amen.

F I N I S.

COROLLARIA.

- I. *Medicamenta Chymica tuto adhibere licet.*
- II. *Naturaliter fieri non potest, ut fœmina sine congressu maris concipiat atque pariat.*
- III. *Nutritio aliquatenus fieri potest per clysteres injectos.*
- IV. *Quandoquidem homo constat ex corpore organico vitam in se sibi propriam habente. Et anima rationali quæ immortalis est, quæ isti corpori est intimè à Deo unita, medicus in animam rationalem mediante hoc corpore operari potest.*
- V. *Omnes bestie sunt rationis expertes.*
- VI. *Loquela est operatio quæ propriè solàm in homine invenitur.*

